



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 37. Galliarum Regis edictum contra cunctos hæresis damnatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.

A. C. 1555.

§. XXXVI.

Cardinalis Polus sacro Presbyteratus Ordine initiatus.

Ciacon p. 63. Cum autem Regina Polum Cardinalem elegisset, ut Cranmero in Cantuariensis Archiepiscopatus dignitate succederet, hinc idem, cum antea non nisi Diaconus esset, exeunte hoc anno sacrum Presbyteratus ordinem suscepit, hujus tamen Archiepiscopatus possessionem non nisi quarto post Mense ingressus erat, eoquod sibi religioni duceret, vivente adhuc Cranmero in Archiepiscopum inaugurari.

§. XXXVII.

Galliarum Regis edictum contra cunctos hæresis damnatos.

Steid. comm.
l. 26.

Tau. lib. 16.
n. 7.

Belc. comm.
l. 26. n. 66.

Interea Henricus II. Galliarum Rex Neapolitanæ expeditioni intentus, etiam sibi Neo-electum Pontificem quodam obsequio devincire satagebat, quapropter edictum priori, quod ante quadriennium ediderat, omnino oppositum promulgari jussit, vi cujus sibi plenam, atque integram de hæresis crimine cognoscendi potestatem reservabat, saltem si accusatio omnino liquida esset, aut de Personæ Ecclesiasticæ judicio non ageretur. Ex adverso autem per præsens edictum hoc anno divulgatum Rex omni-

omnibus suis Gubernatoribus, ac justitiae Ministris per universum regnum mandabat, ut omnes, quoscunque Ecclesiastici Judices, ac fidei Inquisitores de hæresi convictos damnassent, pro delicti gravitate statim, & absque mora, nec ullius appellationis habita ratione punirent (*). Hoc edictum ipse Lotharingius

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

(*) Nempe jam tum etiam in Galliis satis comprobatum erat, quod a Judicibus, vel a Pontifice ad Concilium appellandi libertas unice introducta fuerit, ut omnium criminum impunitas, ac hæresis profitendæ, necnon propagandæ libertas magis invalescere valeat: hanc ob rem etiam in Anglia Cranmero, qui hac appellatione judicum severitatem, debitasque pœnas eludere studebat, hæc facultas concessa haud fuit, ut testatur Bossuetius l. c. his verbis fol. mihi 267. edit. latin. Vienn. anno 1753. *Cranmerus ad protrahendam sententiam obtulit se ad defendendam doctrinam suam coram Pontifice, eoquod illum agnosceret, cumque ejus nomine damnaretur, provocavit ad Concilium, denique cum nec provocatio admitteretur, spe unica abjuravit errores Lutheri, & Zwinglii; confessus est realem præsentiam in scripto verbis veri alius doloris indicium referre, cumque videret, se nihilominus damnatum, abjuracionem revocavit; sed mox denuo debilem adhuc spem habens veniæ, abjuravit, &*

Hist. Eccles. Tom. XLII. S abju-

Sæcul. XVI. ringius Cardinalis Parisiensi Regis Se-
A.C. 1555. natui proponere voluit, ut a Senatori-
 bus pro veteri more comprobatum de-
 nique promulgaretur, atque in usum de-
 duceretur. Comparebat ergo ipse in
 Senatu, suamque petitionem gravibus
 admodum argumentis fulciebat: verum
 Senatores hac propositione commoti
 rem novam esse arbitrabantur, quod in
 ejusmodi eventibus appellandi reme-
 dium denegaretur, quapropter delibe-
 randi spatium petentes missis ad Re-
 gem Oratoribus, quid ipsi censerent, ex-
 ponebant.

§. XXXVIII.

*Senatus sententia circa hoc Regis
edictum.*

Sleidan. l. 26. Postquam Lotharingius, & Turnonius
 Cardinales Romam discesserant, tunc
 primum Senatores die decima sexta O-
 ctobris

*abjurationem de novo signavit, volens tamen
 consulere conscientiae, secretam, inquit Burnet,
 confessionem fidei suae sincere scripsit, secumque
 ad supplicium tulit, adeoque quamdiu spes vitae
 supererat, publice protestans videri noluit, deni-
 que cum nihilominus ardendum sibi esse intelli-
 geret, videns nil ultra se perdere, aut lucrari
 posse; ut saltem speciem Martyrii mentiretur,
 abjurationem suam revocavit, & hæresin pro-
 fessus arsit.*